



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. An & quomodo Diabolus sit causa peccati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

Secundò, dubium etiam non est, quin peccatum sit permissum à Deo dici verè possit pœna peccati præcedentis, saltem ratione alicuius adiuncti, ita enim vocatur ab Augustino locis citatis, & lib. 1. Confessionum cap. 12. *Iussisti Domine & sic est ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus*, & Gregorius homil. citata, *peccatum quod per penitentiam citius non deletur, aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum simul est, & causa & pœna peccati*. Asserturque ratio à S. Thoma quia, ut peccatum sit saltem per accidens pœna peccati præcedentis, sufficit quod Deus idèò subtrahat gratias per quas impediretur posterius peccatum, quia præcessit prius peccatum, & quod intendat: pœnas quæ sequuntur tale peccatum, cuiusmodi sunt anxietas animi, quæ huic peccato annexa est, infamia, &c. Sed Deus utrumque illud facit, ergo vnum peccatum esse potest saltem per accidens pœna præcedentis alicuius peccati.

Tertiò, tamen cum S. Thoma, *Illo art. 2. & quæst. 1. de malo art. 2. contra Richardum, Scotum, & Bonaventuram*, asserendum est quod peccatum non potest esse vilo modo per se causa peccati alterius, atque ita quod peccatum sequens non est vnquam secundum se pœna peccati præcedentis, sed ad summum ratione alicuius adiuncti, quod præcedat, vel sequatur peccatum. Ratio est quia sicut de ratione peccati ut sic, est ut sit voluntarium, sic de ratione pœnæ ut sic, est ut sit inuoluntaria patienti, vel certè ut ametur ab eo qui inuoluntaria patienti, vel certè ut ametur ab eo qui pœnam infert: Imò pœna iustè & benè infligitur, peccatum autem secundum se iustum esse nequit. Neque à Deo amari ergo peccatum secundum se nequit esse pœna, sed secundum ea tantum quæ habet adiuncta. Quin etiam fateor Deum non posse illa prædefinire quæ sequuntur peccatum, verbi gratiâ, infamiam, nisi postquam peccatum præiudicet futurum, quia Deus nunquam potest ex se primò velle pœnam: vnde tamen non sequitur, quod in pœnam præcedentis peccati permittere non possit peccatum, sicut etiam potest permittere peccatum ut aliquis ex eo humilietur, vel etiam agat penitentiam (ut probabam aliàs contra Vasquez), quia non inde sequitur quod Deus, velit peccatum causari sed permissiue tantum, qui enim vult finem necessariò etiam vult media permittere, non necessariò vult illa causare. Sed hæc alias.

Solutur
gravis in-
stantia.

Instabis Deus non potest amare permissionem peccati ut pœnam, nisi amet illam ut malam homini, sed amare non potest illam ut malam homini, quia non est homini mala nisi per peccatum: ergo Deus non potest amare permissionem peccati ut pœnam.

Respondeo negando maiorem, nam ad rationem pœnæ sufficit ut ametur id quod cognoscitur esse malum, neque opus est ut ametur malitia ipsa pœnæ, seu ratio ipsa mali quæ in ipsa pœna est: Deus enim velle potest negare auxilium efficax, & permittere peccatum cognoscendo illud fore malum homini, quamuis permissionem illam non intendat esse malam homini. Deinde nego quod permissio peccati non sit mala homini nisi posito peccato: priuatio enim gratiæ congruæ aliquid sine dubio malum est.

Ad quintam satis videtur ostensum esse quomodo Deus concurrens ad materiale peccati determinatus à creata voluntate, non solùm malè non agat, sed etiam agat rectè ac laudabiliter; facit enim quod recta ratio dicat faciendum esse ab autore naturæ. Vnde malitia peccati non est vilo modo à Deo. Prædefinitiones actuum malorum si absolutæ fuerint & antecedentes scientiam conditionatam faciunt Deum causam & autorem peccati, ut probani aliàs, si autem sequantur scientiam illam mediam, & fuerint conditionatæ saltem virtualiter certè illæ nihil nocent libertati voluntatis creatæ, neque sanctitati voluntatis

diuinæ ut ostendi aliàs. Reprobationem qui ponunt priorem præuisione peccatorum, videant quomodo declinare possint argumentum quo probatur Deum futurum autorem peccati. Mihi certè sententia illa videtur dura & omnibus quæ de Deo sentire debemus non satis consona.

SECTIO II.

An & quomodo Diabolus causa sit peccati.

S. Thomas quæst. 80.

TRactat quatuor S. Thomas ista quæstione, in quibus longo examine nihil opus est. Primum est quod Diabolus plurima quidem indirectè hominum peccata causet, quæ tamen causare directè nullo modo potest. Ratio cur indirectè causare possit peccata est quia duobus modis indirectè causari potest peccatum. Primò ab eo qui proponit intellectui peccantis obiectum aliquod appetibile in cuius amorem exardescat voluntas. Secundò, ab eo qui persuadet peccatum consulendo, representando malum sub ratione boni, utrumque hoc sine dubio facit dæmon, ergo indirectè causat peccata. Ratio autem cur causare illa non possit directè est quia, sola illa causa directè causat peccatum quæ in illud influat, sola voluntas & obiectum influunt in peccatum ut patet, ergo sola voluntas & obiectum possunt directè causare peccatum.

Ratio prima dubitandi.
Sicut & aliæ soluntur.

Secundum est quod Diabolus interius quidem inducit ad peccandum non per solas formas visibiles ut patet, sed hoc non nisi dupliciter efficit: primò mouendo sanguinem & spiritus quibus iunctæ species obiectorum veritatum, quorum representatio statim excitat phantasiam. Secundò excitando passionem in appetitu, per motum aliquem & alterationem humorum, ex quibus statim accenduntur cupiditates, exardescunt iræ, inuidiæ dolores, &c. Vnde verum est quod ait Isidorus lib. de summo bono cap. 5. quod *Diabolus corda hominum occultis cupiditatibus replet*.


Secunda.

Tertium est quod dæmon necessitando voluntatem causare non potest peccatum, quia non posset necessitare voluntatem nisi excæcando penitus rationem, cuius quandiu perseuerat integer oculus, illibata etiam perstat libertas, si autem excæcata ratio fuerit tollitur etiam libertas peccandi.

Tercia.

Quartum est utrum Diabolus omnium quæ sunt ab hominibus causa sit peccatorum, negat autem esse causam, quia etiam si nulla esset suggestio Diaboli, tamen homo inclinationem haberet ad bona sensibilia rationi contraria, & voluntatem liberam ad eorum appetitionem.

Quarta.



DISPUTATIO III.

De propriis Effectibus peccatorum.

S. Thom. à quæst. 85.



MALORUM quæ causantur à peccato multitudo numerum & modum non habet, quæ tamen ad tria capita reuocat optimè S. Thomas, Primum est corruptio naturæ, Secundum est malitia animæ, seu macula peccati. Tertium reatus pœnæ corruptio naturæ quatenus causatur per peccata personalia significare aliud non potest, quam quod per peccatum diminuat inclinatio ad virtutem, & augetur inclinatio ad malum, quod præstat priuatio bonorum habituum, productio malorum, & denegatio

Effectus peccati reuocantur ad tria capita.

Hhh 3 auxili